DE FEBRIUM INTERMITTENTIUM, TYPHI ABDOMINALIS ET ANGINAE MEMBRANACEAE NATURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE II. M. FEBRUARII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS DOENHOFF

RHENANO - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

R. MOENNIG, med. et chir. Cand.
W. HANKAMER, med. et chir. Cand.
J. CORTUEM, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

F. DOENHOFF

ET

AVUNCULO CARISSIMO

FERDINANDO HERMANNI

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Diversae sunt methodi tractandae pathologiae.

Prima est descriptiva. Etiam historico-naturalis nominatur, quippe quae eodem modo, quo historia naturae, res tractet. Respiciuntur symptomata omnia, quae in singulo morbo apparent, ita ut simplex et clara forma morbi ipsius cognoscatur. Postulatur inprimis accuratissima descriptio et distinctio singulorum morborum. Methodo abstrahendi species, genera, ordines morborum formantur. Quae modo exhibita sufficiunt, neque nexum causalem symptomatum mutuum ostendas, secundum eam necesse est. Haec methodus, quam plurimi nostrae aetatis medici secuti sunt, exorta est, quum intelligebatur, vanas esse speculationes philosophiae de natura. Secundum eam quidem res ex una sola parte, ut ita dicam, observantur, sed sunt viri nostri temporis optime de arte nostra meriti, quippe qui illam methodum secuti sint. Exhibeo solum observationem de auscultatione et percussione a Laennecio factam.

II. est comparativa. Sicut jam prius anatomia et physiologia hominum comparatione cum illa animalium et plantarum maxime exculta est, simili modo nonnulli medici existimaverunt, morbos hominum cum illis animalium et plantarum esse comparandos. Quae methodus quam maxime commendanda esse videtur; morbi enim hominum facilius hoc modo possunt cognosci, quippe qui in animalibus et plantis, quibus simplex est organismus, simpliciores et magis perspicui appareant. Nonnulli autores comparandi methodum urgentes mor-

bum cum organismo comparaverunt, et existimaverunt morbum esse organismum, in ipso organismo humano exsistentem. Eo nitebantur, quod organismus et morbus nonnulla phaenomena habent communia, exempli gratia illa gignendi, crescendi, evolvendi, interuendi. Sed haec phaenomena mihi non sufficere videntur ad demonstrandum aliquid esse organismum; nam ignis etiam crescit, evolvit, gignit novum ignem, qui separatus se tenet, et attamen ignis non est organismus. Organismus est systema partium conjunctarum ad finem communem, nec prius dici poterit morbum esse organismum, quam si demonstratum erit morbum esse tale systema.

III. Methodus teleologica, quae quidem est pulcherrima in considerandis organismis, sed hoc loco minime valet. Ejus sectatores solum errores theosophiae medicinae protulerunt. Exempli gratia Ringseis morbos poenas propter peccata a Deo suspensas esse existimat, quapropter magis peccata quam morbos ipsos tollenda esse; methodus qua artem nostram plane destruit.

Sydenham putat morbum esse nisum naturae valetudinem restituendi. Sed si valetudo restituenda est, ejus perturbatio id est morbus jam posita est.

IV. Methodus physiologica ut ita dicam. Haec nexum causalem inter phaenomena morbi exhibere conatur ope physiologiae. Debemus huic methodo cognitionem, quam hoc tempore acquisivimus de natura multorum morborum; moneo solum de morbis nervorum, de febri (Muellers Physiologie). Hanc methodum in dissertatione mea conatus sum adhibere in nonnullos morbos.

DE INTERMITTENTIBUS.

Usque ab antiquissimis temporibus naturam intermittentium accuratius cognoscere medici studuerunt; sed omnes conatus frustra erant, quando quidem nonnisi species una observabatur, nempe ea, quae una cum febri incedit. Eo demum, quod aetate recentiore aliae formae et cognitae et excussae sunt, quae manifesto cum febribus intermittentibus re sunt eaedem, certius fundamentum indolis febrium intermittentium jactum est, ex notioribus formis de ignotis analogice conjectura facta, atque symptomatibus, quae illis omnibus sunt communia, perspectis indole genuino reperta.

Morbi descriptio. Nomine intermittentium copia morborum comprehenditur, qui 1) sedem habent in nervis, 2) procedunt paroxysmis typi-

cis, 3) oriuntur productis decompositis corporum organicorum, 4) sanantur remediis, quae roborant vim nervinam. Illa symptômata aequam horum morborum naturam perquam reddunt verisimilem. Quod idem facit certum, hoc primum est, quod tempore eodem prodeunt formae diversae. Ita **Romberg** meminit, amauroses interdum inter febrium intermittentium paroxysmos existere et his cessantibus disparere. Item cardialgias haud ignotum est in Italia atque Hollandia inter febrium intermittentium paroxysmos crebro usu venire; easdem vero etiam per se in paroxysmis typicis saepenumero apparere. Dein sententia nostra eo approbatur, quod altera species ex altera evadit. Sic **Schoenlein** dolorem typicum nervi trigemini saepius principio adesse, tum nervum vagum et ejus ramos affici memorat: paroxysmos enim vehementi pectoris oppressione, anhelatione, crebra respiratione, tussi vehementi sese manifestare, et postremo vulgares febres intermittentes prodire, quae cum frigore, calore et sudore incedant. Pari modo febres intermittentes sese in dolores intermittentes nervi trigemini aut nervi facialis sese mutare testatur.

NOSOGENIA.

I. Paroxysmis morbus alicujus nervi subest. De multis nervis, quorum functionem observatione et factis experimentis accuratius novimus, hoc exploratum est, uti de nervis cerebralibus. Intermittentes enim ipsa horum nervorum immutata functione declarantur. Sic in fronte dolor typicus obvius est, qui ramulos nervi supraorbitalis stricte sequitur. Item existit amaurosis, quae quoque die, aut secundo vel tertio quoque incedit. Qua in re dubitari nequit, quin nervus supraorbitalis atque nervus opticus morbo affecti illa symptomata producant. Minus vero apertum est, intermittentes cum febri aut secretione solum intrantes locum suum in nervis habere. Verum tamen hoc probatur primum incessu periodico, qui quidem alias nonnisi in morbis nervorum cernitur; tum analogia cum intermittentibus reliquis, quibus in nervis sedem esse modo docuimus. Deinde autem transitu ex intermittentibus nervorum cerebralium maxime confirmatur et symptomatibus, a nobis quidem rarius, sed a medicis Italicis saepius observatis, quae indicant cerebrum et medullam spinalem pati, scilicet comate, stupore, trismo, tetano et convulsionibus, vomitu et diarrhoea vo-

hementi. Porro sunt nervi abdominis, qui afficiuntur in febribus intermittentibus; hoc inde elucet, quod organa systematis chylopoëtici tam saepe collaborant. Moneo de crebra febrium intermittentium complicatione cum gastricismo, cum diarrhoea, de earum exitu frequenti in febrem gastricam, in hypertrophiam hepatis et lienis; porro constanter cor particeps esse, quod scimus nervo sympathico moveri.

II. Nervorum affectio causa proxima intermittentium est.

Multi autores asserunt, nervorum affectionem ex dyscrasia sanguinis prodire; sed ex sequentibus argumentis mihi probare videtur, nervorum affectionem esse priorem, et sanguinis dyscrasiam effici affectione nervorum.

1) Causae, quae commovent intermittentes, omnes in nervos influunt. Ita scimus paludes, vegetabilibus putrescentibus in autumno et vere, intermittentes proferre; porro novimus terram Vulcaniam et eruptiones ignivomas febres procreare intermittentes. Lancisi narrat epidemias malignas febrium intermittentium lino humido, quod illic maceretur, ortas esse. Omnibus his causis formatio acidi carbonici et hydrogenii sulphurici communis est. Haud ignotum autem est, quantam hae materiae vim in nervos exer-

ceant, quippe ex vertigine, stupore et ceteris signis narcoseos satis apparet, et ex experimentis, quae probarunt, has materias ad nervos allatas vigorem vitalem delere; utimur quoque acido carbonico contra colicas et vomitum. Notum insuper est, vapores aquae morbos intermittentes recidivos procreare; illos autem nervos afficere ex eo liquet, quod etiam asthmatis paroxysmos provocant, et si multa aqua est in aëre, nos sentimur lassitudinem, aqua irritabilitatem musculorum destruente.

2) Intermittentes medicaminibus sanantnr, quae vim in nervos exercent contrariam huic, quam exercent illae materiae, quae proferunt intermittentes: irritant enim et roborant vim nervinam. Ita omnia remedia amara, quae tantum systema gangliorum roborant, praecipue cortex chinae, arsenicum, quod nervos tantum afficit, ut majore dosi datum tremorem, convulsiones et paralysin efficiat, optima remedia intermittentium sunt. Praeterea vim spiritus vini et affectuum animi adversus intermittentes novimus; quippe multis observationibus satis comprobata est. Et intermittentes nervi sympathici irritatione membranae mucosae abdominis extinguuntur, si quidem medici Italici tartaro emetico utuntur bono cum successu contra febres inter-

mittentes, quod non explicari potest nisi derivatione irritationis ex nervis. Imo febres intermittentes per se ipsos saepius sanantur, cum irritatione membranae mucosae abdominis febrem gastricam efficiunt. Quod omnia remedia intermittentibus medentia talia sunt, quae in systema nervorum agunt, id documentum gravissimum est, aegritudinem nervorum causam proximam esse, et symptomata aliorum organorum tantummodo illa produci. Nam si affectio nervorum affectionis alius organi symptoma esset, eadem quidem in tempus sanari posset, sed serius ocius, perdurante affectione primaria, symptomata denuo comparerent.

3) Transgressus febrium intermittentium ex morbis multis organorum abdominis. Inflammatio membranae mucosae tractus intestinorum, hepatis, lienis, febris gastrica, arthritis saepenumero exeunt in febres intermittentes. Qui metaschematismus analogiam habet cum pertussis et asthmatis evolutione ex catarrho pulmonum, et cum evolutione in infantibus saepe obvia epilepsiae ex catarrho membranae mucosae abdominis.

III. Affectionis nervorum natura. De natura affectionis nervorum in intermittentibus nihil constat, nisi eam esse peculiarem. Nam

quamquam symptomata sunt eadem quam in ceteris neurosibus, valde tamen a neurosibus intermittentes discrepant typo symptomatum, decursu celeriore, et reactione contra remedia. Causa typi est ignota. Nonnulli autores intermittentes cerebrales consociationes neurosium respondentium cum nondum evoluta febri intermittente existimant; at refragatur 1) facilis intermittentium cerebralium curatio per eadem remedia, quae gangliorum intermittentes sanant. Si complicatio adesset, difficilior adhuc foret sanatio, quam purarum neurosium, quae jam difficile sanari possunt. 2) Incessus simultaneus et cerebralium et gangliorum intermittentium, atque discessus simultaneus.

IV. Causalis symptomatum inter se relatio. Materias narcoticas, quae oriuntur e vegetabilibus putrescentibus, in nervos influere, et ita intermittentibus gignere probavisse mihi videor. Permittas mihi monere de similitudine effectus, quem narcotica alia exercent in nervos. Acidum hydrocyanicum et belladonna convulsiones, soporem, tetanum ac trismum commovent et eadem phaenomena observamus in febribus intermittentibus perniciosis. Laborat sanguinis apparatio gangliorum systemate diutius aegrotante, ut rei consentaneum est, quod intime in-

vaditur: itaque videmus usum diuturnum narcoticorum eandem sequi sanguinis commutationem.

DE TYPHIS.

Typhus abdominalis, febris flava, pestis orientalis constituunt familiam naturalem, quippe quamvis in formis extremis discrepent, tamen paullatim in se invicem transeunt. Causa horum morborum proxima in systemate nervorum inesse mihi videtur. Nam necessaria tantum est hujus affectio. Est jam antiquitus animadversum, febris flavae contagio correptos, et in pestis epidemiis eos, qui peste laborantes contingant, saepe subito mortuos concidere. Quae mors tantummodo systemate nervorum debilitato consequi potest, si quidem nullae cogitari queunt causae aliae, quae obitum tam repentinum efficere possint. Debemus igitur relationem specificam contagii ad systema nervorum statuere. Proxima causa in specie morbus est nervi sympathici. Omnes enim nervi sympathici aegritudines ad typhos praedisponunt. Sic Schoenlein marasmum, epilepsiam abdominalem haud raro in typhum abdominalem abire ait. Pariter omnes observatores intermittentes referunt frequenter in febrem flavam transgredi. Hecker

in uno individuo testatur ter deinceps pestem et febrem intermittentem alternasse.

Ac Schoenlein auctor est, intermittentes apud nos saepe in typhum abdominalem discedere, ita ut febris cum extremo paroxysmo sese continuet. Behrend (Hufelands Journ. Aug. 1841.) narrat in una domo quatuor homines successive febri intermittente affectos esse, in duobus febrem intermittentem in typhum abiisse, reliquos chinino sanatos. Externae causae ejusmodi sunt, quae nervum sympathicum proxime afficiunt. Eadem aëris constitutio, quae ciet intermittentes, etiam typhos gignit. Constat adeo eandem aëris qualitatem, quae in adsuefactis ad ipsam procreat intermittentem, in advenis febrem flavam excitare.

Porro deprimentes animi affectus, opportunis potentiis externis, causae sunt typhis producendis occasionales. Quam ob rem typhus bellicus primum in copiis victis comparet. Reider refert post magnum incendium febrem flavam in oppido exstitisse terrore, quem incendium procreasset. Diuturnum usum aquae laurocerasi et belladonnae typhum gignere ait Schoenlein.

II. Affectionis natura. Est haec inflammatio, quia 1) nervus sympathicus obscuro vaso-

rum reti injectus est. Velut Cartwright neurilema nervi sympathici semper se asserit in febri flava inflammatum reperisse, et a plexu coeliaco deorsum ad renum genitaliumque plexum et sursum ad plexum pulmonum cordisque. Affirmat item Schoenlein in typhi abdominalis stadio primo se invenisse ganglion semilunare et plexum solarem semper plurimum rubefactum, quod convenienter illi in stadio primo obvio dolori in regione epigastrica ganglion semilunare punctum declarat, unde morbus exit. In stadio tertio Schoenlein et Autenrieth nervum non rubefactum, sed durum deprehenderunt, fortasse fibrina exsudata. Idem animadverterunt Morgagni (de sed. et caus. morb. epist. LXX. §. 10) et Reil (exercit. anat. de struct. nerv. pag. 20).

III. Systematis gangliorum affectio phaenomena in typhis obvia explicat, veluti capitis obnubilationem, deliria, phantasmata. Scimus enim nervum sympathicum facillime statum suum communicare cum cerebro, uti e symptomatibus apparet, quae invenimus in helminthiasi, in veneuatione arsenicali, alibi. Porro affectio illa aperit morbi exitum in paralysin nervi sympathici, quae se exhibet in diarrhoeis colliquativis, meteorismo, et cessante dolore in regione abdomi-

nali. Inflammatio membranae mucosae abdominis ex inflammatione nervi sympathici oritur, quod facile explicari potest, quum simplici irritatione nervorum jam inflammatio tunicarum mucosarum existit, uti hysteria gastritis, pertussi angina membranacea etc. — Decompositio sanguinis inde elucet, quod nervus sympath., qui sanguinis apparationem efficit, aeger est, et ex sanguinis decompositione celer patet macies. Unde intelligimus etiam curam typhi abdominalis ope calomelanos prosperam.

IV. Nobis jam intermittentes cum typhis conferentibus haec comparationis quasi puncta evadunt. Primum sedes est eadem, nervus sympathicus; in utrisque est irritatio hujus nervi, sed in intermittentibus irritatio simplex, in typhis irritatio crescit ad inflammationem.

V. De ratione febrium intermittentium ad typhos in epidemiis.

A. In epidemiis videmus formas inter febres intermittentes et typhos medias.

Reider anno millesimo octingentesimo vicesimo sexto in Hollandia intermittentes nonnumquam cum vomitu nigro atque flavo cutis colore incessisse perhibet. Idemque Traversari in epidemia Pisauri anno millesimo septingentesimo octavo conspexit. Anno millesimo sex-

centesimo nonagesimo primo Deckers vidit in epidemia juvenem, cujus cutis in tertio paroxysmo prorsus rubra, dein nigra fiebat, quod quidem ut totus morbus china impensa disparuit. Lancisi anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto aegrotos animadvertit, in quibus lingua fusce obtecta, abdomen dolens et tensum et cruentus foetidusque vomitus exstitit. Denique soporem, sudorem frigidum et inflammationem parotidis plerumque die nono vitae finem attulisse; febrem saepenumero in characterem continuum transiisse; sectionem abdominis intestina exhibuisse livida, vesiculam felleam atra bili impletam; intestina gangraenosa continuisse excrementa foetida, pulmones cerebrumque sanguine atro scatuisse. In America febres intermittentes saepe incedunt cum atro vomitu. Bartholini aestate calida anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi secundi et Havniae et in ejus vicinia intermittentium febrium epidemiam prodiisse refert, in qua interdum exanthema petechiale obortum sit, quod in exacerbatione comparuerit, sed in intermissione disparuerit. Ibidem bubones et tumores crebro crises exstitisse. Vel ulcera carbunculosa Hahn vidit Vratislaviae anno millesimo septingentesimo trigesimo septimo. Intermittentes in Aegypto

interdum cum bubonibus prodeunt, quod medici nominabant pestem intermittentem (Hecker). Quod si talia phaenomena in febribus intermittentibus conspicimus, haud mirabimur, si in typhis haec phaenomena ampliora atque constantia videmus.

B. Febres intermittentes transeunt paullatim in epidemiis in febres typhosas.

Studium pathologiae historicae febres intermittentes ostendit, haud raro in typhos discessisse. Docuit Hecker transgressos esse febres intermittentes in pestem in terris Danubii annis praeteriti saeculi IX — LXIII. Aetate recentiore medici annis hujus saeculi XI—XIII. febres intermittentes in typhum petechialem transeuntes viderunt. Anno milles. octingent. viges. sexto in Germania septentrionali magna epidemia febrium intermittentium in epidemiam typhi abdominalis abibat. Apud nos epidemiam febrium intermittentium typhi abdominalis epidemiae quotannis conspicimus antecedentem, pariterque in America febri flavae. Formationis autem ratio haec est. Quando febris intermittens sese evolutura est, in aliis quoque morbis aliquid periodici cernimus, vel in morbis vasorum vehementissimis. Pneumoniae, hepatitides typo certo exacerbantur. Intermittens enim oc-

culta est et evolvitur tum demum, quum morbis aliis suscitatur. Paullatim incipit sponte se ipsa conformare, et semper plura individua corripit. Tunc singulae aegrotationes typhosae existunt; numerus correptorum augescit, dum numerus febribus intermittentibus affectorum diminuitur. Quando certam quandam magnitudinem epidemia nacta est, tum rursus minuitur, et sub epidemiae finem paullatim febres intermittentes denuo nascuntur.

DE ANGINA MEMBRANACEA.

Anginam membranaceam duo constituunt elementa. Primum est inflammatio tunicae mucosae laryngis, quae a larynge in partem seu minorem seu majorem ceteri tractus respiratorii extenditur. Adsunt enim omnia signa inflammationis, veluti rubor, dolor, qui augetur premendo, tussis, mucus sanguine tinctus et alienatio vocis.

Secundum est inflammatio nervi vagi. Autenrieth fuit primus, qui eam demonstravit: docuit scilicet nervum vagum et praecipue il-

los ramos, qui eunt ad laryngem, instructos esse crasso reti vasorum sanguine impletorum. Schoenlein affirmat idem. In vita affectio nervi se exhibet violentis tussis paroxysmis, qui similes sunt tussis paroxysmis in pertussi, sono metallico, inspiratione longa et exspiratione abrupta. Hos tussis paroxysmos non pendere ab inflammatione tunicae mucosae inde intelligitur, quod in laryngitide tussis in illis vehementibus paroxysmis numquam incedit, et quod pluribus diebus, antequam vestigia laryngitidis existunt in angina membranacea, jam hi tussis paroxysmi adesse possunt.

Interrogatur nunc, utra affectio sit primaria, num inflammatio nervi vagi, an inflammatio tunicae mucosae. Ex sequentibus argumentis elucere mihi videtur affectionem nervi primariam esse.

1) Nervi vagi affecti symptomata inflammationis tunicae mucosae symptomatibus antecedunt. Schoenlein discernit tria stadia in angina membranacea. In stadio primo nihil cernimus nisi tussis paroxysmos inter noctem, dum dies vacat symptomatibus. Hoc stadium durat interdum sex dies. Dici potest, adesse quidem in hoc stadio inflammationem tunicae mucosae laryngis, esse autem tam parvam adhuc, ut non

animadvertatur. Concedam equidem esse ita; sed si inflammatio tam est exigua, ut non animadvertatur, non potest vehementes paroxysmos gignere, quippe qui in laryngitide acutissima non conspiciantur.

2) Existit varietas anginae membranaceae, quae in terris tropicis frequentior, etiam apud nos ab Jung et Schoenlein et aliis medicis observabatur. Est sine febri ac symptomata laryngis sunt eadem, sed typum habent intermittentem.

Quum inter omnes morbos solum morbi nervorum habeant typum intermittentem, valde est verisimile, anginam membranaceam etiam morbum nervi esse. Inflammatio laryngis explicari potest, uti dolores et convulsiones periodicae in neurosibus atque diarrhoeae periodicae in febribus intermittentibus.

3) Inflammatio nervi vagi omnia symptomata anginae membranaceae explicat:

a) Inflammationem tunicae mucosae laryngis. Omnes neuroses inflammationem tunicarum, in quas se ramificant, efficere possunt. Ita cernimus e colica oriri enteritidem, ex hysteria inflammationem uteri, e pertussi anginam membranaceam. Si videmus, simplicem irritationem nervorum galvanismo aut animi affectibus gi-

gnere irritationem in tunicis mucosis, haud erit, quod inflammationem nervi inflammationem tunicae mucosae in angina membranacea producere miremur.

b) Exsudationem fibrinae. Omnes inflammationes, quae gignantur e neurosibus, magnam proclivitatem habere ad exsudationem dicit Schoenlein. Ita enteritis, quae evolvitur e colica, fibrinae exsudationem magni ponderis efficit. Experimentem Humboldtii, qui galvanismi applicatione in vulnus augebat exsudationem, demonstrat cur inflammationes, quae nascantur neurosibus, facilius exsudationem commoveant quam inflammationes genuinae.

c) Inflammatio nervi vagi in angina membranacea declarat, cur infantes et pueri solum afficiantur angina membranacea: nam infantes et pueri solum corripiuntur pertussi, quae quoque est morbus nervi vagi.

Symptomata anginae membranaceae.

Discernimus tria stadia. Primum est stadium affectionis nervi vagi, secundum affectionis nervi vagi et inflammationis tunicae mucosae, tertium exsudationis.

Stadium primum. Interdum pueri per nonnullos dies symptomata habent catarrhi; saepe non adsunt, et morbus ita incipit, ut pueri nocte

e somno excitentur tussi vehementi, quae habet sonum metallicum. Hic sonus metallicus efficitur eo, quod glottis magis contrahitur quam in tussi, quae catarrho aut inflammatione tunicae mucosae oboritur. Contractiones quoque musculorum exspiratoriorum vehementiores sunt quam in catarrho et inflammatione laryngis, et fortius aërem per glottidem pellunt. Inter paroxysmum facies est livida, pulsus tensus et celer. Inter diem omnia symptomata desunt. Vespere paroxysmi revertuntur. Hoc stadium interdum sex dies durat.

Stadium secundum. Vox est rauca, aegroti sentiunt dolorem, si larynx aut trachea premitur. Pharynx et tonsillae sunt rubefactae, mucus, qui tussi ejicitur, sanguine tinctus. Nonnunquam tussis paroxysmi veniunt; in intervallis pueri dormiunt. Pulsus frequens et durus est; cutis ardens, lingua muco obtecta, sitis vehemens, urina rubra.

Stadium tertium. Respiratio est anhelosa, omnes musculi respiratorii contrahunt se fortiter et celeriter. Stethoscopio strepitus mucosus in larynge et trachea. Interdum vehementes tussis paroxysmi, quibus concrementa fibrinosa ejiciuntur. Pulsus est parvus, debilis, valde frequens.

DE CAUSIS.

Infantes solum et pueri angina membranacea afficiuntur; nonnulli medici eam etiam in adultis viderunt, quod quidem non satis constat. Inter pueros et infantes ii maxime petuntur, qui robusti ac validi sunt.

E causis externis potissimum alleganda est certa aëris constitutio, et eadem quidem, quae ad gignendam pertussim et asthma idonea est. Nempe aër est aquae vaporibus impletus, qua de causa angina membranacea frequens est et vere et autumno sicut in oris maritimis, dum in montibus rarius conspicitur. Porro per metaschematismum e pertussi nascitur.

Angina membranacea plerumque in septem ad quatuordecim dies decurrit, saepius autem in spatio breviore, interdum adeo in uno die.

Angina membranacea finitur

1) in reconvalescentiam. Symptomata localia diminuuntur sensim sensimque et postremo cessant. Febris cessat, dum cutis multum sudare incipit, et urina copiose excreta sedimenta format. Per tussim concrementa fibrinae ejiciuntur.

2) In blennorrhoeam tunicae mucosae laryngis aut in phthisin laryngis.

3) In mortem aut suffocatione, quum fibrina exsudata impedit, quin aër intret in pulmones; aut apoplexia cerebri sanguinea. Difficultas respirandi enim efficit, ut sanguis se accumulet in cerebro et e vasis evadat.

DE CURA.

In principio morbi saepe emeticum sufficit, quod omnes secretiones augens a larynge derivat. Si id non sufficit, aut si morbus jam majorem gradum nactus est, sanguinis detractiones instituendae sunt. In infantibus hirudines ad laryngem apponantur; in pueris venaesectio antecedat. Quod symptomata nonnullis horis post detractionem sanguinis non multum remissa sunt, illa repetatur. Inter remedia antiphlogistica calomel omnibus aliis praeferendum est, quod inter omnia maxime exsudationem prohibet, et quod efficit, liquore quidem sanguinis exsudato, ut fibrina non coaguletur. Dosis calomelanos sit magna, unum vel duo grana binis horis. Si illa cura id assequimur, ut morbus resolvatur et crises intrent, maximi momenti est, secretiones criticas bene procedere. Si igitur sunt nimis paucae, adjuventur illis remediis, quae cutem et renes 'excitant. Ubi autem morbus non resolvitur, sed fibrina exsudatur èt coagulatur,

conetur medicus concrementa ejicere emetico, aut pharynge per pennam irritanda. Quod si frustra est, nil remedii remanet nisi laryngotomia: est autem remedium valde dubium, quod concrementa usque in ultimos ramulos bronchiorum saepenumero sese extendunt.

V I T A.

Natus sum ego Eduardus Doenhoff die vigentesimo tertio mens. Aprilis anno hujus saeculi XX. Isselburgi patre Friderico et matre Sibylla e gente Hermanni, dira morte jam diu mihi abrepta. Fidem confiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Vesaliense, quod sub auspiciis Bischoffii florebat, per quatuor annos frequentavi. Maturitatis testimonio munitus autumno anni h. s. XXXVIII. almam litterarum universitatem Rhenanam petii, ibique rectore magnifico Ill. Mayer inter cives academicos receptus, et ab Ill. Wutzer, ordinis t. t. decano spectatissimo, medicinae studiosis adscriptus, per unum audivi disserentes viros Ill. Fichte de logice et psychologia, Bischof de chemia experimentali, Plücker de physica experimentali, Treviranus de botanice, Goldfuss de zoologia, Noeggerath de mineralogia, Albers de encyclopaedia et methodologia artis medicae, Mayer et Weber de anatomia speciali et generali.

Tunc Heidelbergam me contuli ibique interfui scholis virorum Ill. Tiedemann de anatomia et Puchelt de materia medica.

Post unum annum Berolinum migravi, ubi disserentes audivi Ill. Schoenlein de therapia, Ill. Juengken de chirurgia, Cel. Kluge de arte obstetricia, Ill. Mueller de physiologia, anatomia comparata et de anatomia pathologica.

Per quatuor semestria horum virorum Ill. et Cel. institutis clinicis interfui: Schoenlein, Truestedt, Juengken, Dieffenbach, Kluge, Busch.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, summas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, et examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Menstruationis causa est in sanguine.
2. In inflammatione vis vitalis non est adaucta.
3. Secretiones criticae et efficiuntur remissione morbi et remissionem morbi efficiunt.
4. Tuberculosis et scrophulosis natura sunt diversae.
5. Omnes hominum differentiae varietates sunt unius speciei.
6. Graviditatis nullum certum signum exstat.